

que benigne eum recepit sed tamen ab officium presidentie non admisit nec ipsa domina alium instituit unde consilarii de Burgundia scripserunt domine quod male egerat ipsum a dicto officio absolvendo. Tandem accipiens licentiam a dicta domina Anno Xv^cXviii post Pasca rediit ad domum istam et feria secunda Pentecostes perrexit visitare sanctum Adrianum apud Geraldimontem et feria tertia in Pentecostalibus perrexit idem dominus versus Imperatorem Maximilianum cum septem equis et veniens apud ipsum Imperatorem magnifice ab eo fuit receptus, et ab ipso ordinatus orator suus et consiliarius stipendiatus cum mille florenis aureis annuatim. Deinde ab ipso domino Imperatore idem dominus mittitur ad Ducem Sabaudie et ab eo etiam gratiose receptus est. Insuper deo disponent ab hac luce migravit dominus *Jobannes Sauvage* Cancellarius Illustrissimi Regis Hispanie quo defuncto misit idem Rex Catholicus tres nuncios ad dictum dominum Marcurinum ut ad ipsum accederet et acceptaret cum honore officium Cancellariatus non tamen idem dominus hoc petiit vel aliquos ad obtinendum dictum officium pro eo informavit ad intercedendum pro eo aut rogandum sed solo nutu dei ac gratia gloriose virginis Marie de Gratia ac orationibus fratrum confidens idem dominus sibi istud officium provenisse sperat. Qui non ingratus de dicto beneficio ordinavit ex sua benevolentia Duo millia Francorum ut exinde fieret Ecclesia religiosorum que iam ultra Quinquaginta annos est incepta et propter paupertatem dicte domus nullatenus potest fieri nisi adiutorio aliquorum bonorum virorum et sic sperandum est quod deus adiuvabit nos per suam gratiam. Oremus dominum ut ipsum dominum conservet quia sperat adhuc eandem Ecclesiam perficere. Tempore quo idem dominus in hac domo fuit plures gratias conventualibus fecit tam in vino quam in piscibus. Et ipso recedente dedit Xii aureos pro solatio fratrum. Insuper tunicam suam albam dedit Priori, et pelles eiusdem tunice Vicario et Procuratori, mediatim uni, et mediatim alteri qui ambo inde fieri fecerunt tunicas bonas et utiles. Hec preterea scribo ut posterius nostri sciant quante pietatis et benignitatis idem dominus apud nos fuerit.

Notandum et sciendum est quod Prior huius domus frater *Joannes Meroult* recepit illa Duo _____ milia Francorum quos ordinaverat dominus *Marcurinus* Cancellarius et valet francus Xx St. communes et dedit ac promisit idem Cancellarius solvere omni anno quinque annis durantibus li^c Florenos vel francos. Et domina de Sabaudia solveret etiam quinque annis durantibus omni anno li^c Florenos vel francos. Dominus cancellarius solvit Mille Renenses ante recessum versus Hispaniam. Et domina de Sabaudia alios Mille Renenses. Ita quod anno Xv^cXxiiii prior prenomatus recepit Mechlinie a Thezaurario predicte domine li^c Renenses post pascha et sic complevit promissum suum c illi renenses sive franci erant totaliter persoluti.

Anno Xv^cXxx Xxii^a Novembris fuerunt hic recepti ad professionem donatorum *Ghisbertus van Praet* qui fuerat plus quam XXX^a annos prebendarius satis simplex sed fortis ad laborem. Et frater *Petrus Cuesel* de Ninivis qui fuerat prebendarius circa sex annos habens fratrem monachum vicarium ad omnem laborem utilis et fortis, et postea cocus.

Circa istud tempus et annis preteritis fuit maxima guerra inter Illustrissimum Principem Karolum Imperatorum electum et Franciscum Regem Francie, nunc in istis partibus, nunc in Hispania nunc in Italia. Rex Francie Franciscus obtinuerat dolo regnum Navarre sed in brevi ab Hispanis expulsus est. Et noster princeps obtinuit Ducatum Mediolanensem. Tandem ceteris omissis in obsidione civitatis Papie ubi rex Francie in obsidione circa quinque menses ipsam civitatem obsederat habens in comitatu bene Lx Milia armatorum ut ferebatur. Tandem per ducem Borbonem qui ab ipso Rege ex certa causa defecerat et Viceregem Apulie sc Mingeval ipso die sancti Mathie circa auroram elevatus et ipse Rex Francie captus est et ductus in Hispaniam, ubi per annum integrum fuit. ~~Iter~~ Interempti et submersi sunt Octo Milia hominum et pene tota nobilitas Francie erit. Anno sequenti sc Xxvi^o misit in astagium (*sic*) Imperatori duos filios suos sc Delphinum suum primogenitum, et secundum natum ut de tractatis satisfaceret Imperatori.

Anno eodem Imperator concessit nobis privilegium emendi II^c Florenos non redimibiles et II^c redimibiles et ipsos admortizavit sub onere ut celebraremus anniversarium perpetue in diebus sui Anniversarii et anniversarium. Avi sui Maximiliani Imperatoris electi et anniversarium patris sui Philippi regis Castelle etc. Dominus Cancellarius nobis multum fuit adiutorio.

Item anno domini Xv^c Xxii fuerunt hic recepti in statu prebendariorum Primus Quirinus de Bruxella. Et alter frater *Willhelmus van Zuene* etiam Bruxellensis sub spe quod erunt donati tempore suo. Sed pater ipsius *Quirini* transtulit *Quirinum* filium suum ad domum Antverpie ubi habuit fratrem sacerdotem ex quo non volebamus eum recipere ad suum placitum ad statum donati, causa erat quia non videbatur nobis satis fidelis in multis.

Item anno domini Xv^c Xxiiii Illustrissimus princeps Karolus Romanorum Arragonum, Castelle utriusque Cicilie Rex etc Burgundie, Brabantie dux etc., Comes Flandrie, Burgundie, Hannonie, Hollandie, etc. Imperator electus, contulit nostre domui Tria Milia Ducatorum aureorum pro perfectione Ecclesie pia eum ad hoc inducente causa, generoso Cancellario sue maiestatis Mercurino de Gattinaria sub certis tamen oneribus videlicet quod perpetuis temporibus singulis diebus celebraretur una missa ad placitum cum penultima oratione cesaree Maiestati congruente in capella nostre Domine de Gratia. Post obitum vero dicti Imperatoris cum penultima oratione Deus cui proprium in singulari. Item quod procurabimus ipsi a nostro capitulo generali plenum cum psalteriis monachatum. Quod et factum est.

Anno eodem terminati sunt processus sc de Bergis via amicabile dominis de consilio nos ad hoc inducentibus sc quod daremus ad certos terminos L renenses solutum est. Item et processus inter monasteria Dargenton et Gardineto et nostrum de iure quod pretendebant in curti dicta *Ditterbroeck*. De qua supra mentio facta est sic quod ipsis duobus monasteriis daremus semel Centum Leones communes et renunciarent omni suo iuri quod et factum est cum literis desuper confectis sigillis utriusque conventus signatis et munitis.

Anno Xxvi fuit receptus ad professionem ad statum donati frater *Wilhelmi de Beckere* qui et Zuene dicitur de Bruxella ipso die decollationis sancti Joannis Baptista, sartor.

Anno Xv^CXxvi Nobilis dominus Egidius Daveluy magister curie Imperatoris ordinavit hic fieri unam cellam et eandem dotare cum ambitu et aliis necessariis. Inter cellas Reverendissimi Archiepiscopi Bisontinensis et Reverendissimi domini Cameracensis, pro qua dotatione dedit et pro anniversario perpetuo in die obitus sui primo die oportuno secundum modum ordinis Xii^C Florenos communes sub certis conditionibus sc quod cellam ipsius semper inhabitaret monachus sacerdos qui ipsius memoriam in missis et aliis orationibus habere teneretur. Quod etiam daretur bona pitantia cum vino optimo et piscibus in die anniversarii sui etc. Ista et alia diffusius patent in literis sigillo conventus sigillatis et desuper confectis. Et dedit tres vitreas fenestras in parvo ambitu quo itur ab Ecclesia ad magnum ambitum.

Anno Domini M.Cccc.Xxxiii promulgata est in omnibus regnis et oppidis Imperatoris Regisque Hispaniarum etc. quedam bulla Clementis Pape Septimi in favorem eiusdem Imperatoris concessa in recompensam et subsidiis detrimentorum ac expensarum factorum sive deinceps fiendorum contra Turcas. Qua quidem bulla sanctissimi taxabatur omnis clerus tam religiosus quam alias ecclesiasticus ad contributionem dimidie substantie omnium bonorum. Quoniam quidem anno nuperrime elapso Imperator personaliter obviaverat copioso cum exercitu turce qui Ungariam occupare disponebat, nihil tamen dignum factu(*sic*) ibidem exercuerunt(*sic*) redierunt autem singuli ad propria nullam aut paucam reportantes victoriam. Trucidaverunt autem aliqui de exercitu Imperatoris aliquot Turcas, hacque permotus ratione obtinuit prefatam bullam toto clero lamentabilem. Nam tunc tenebamur obligati ad Vii^CLiii renenses sed de hiis habes latius in alio libro parvo et ergo superfluum duximus eodem repetere. Addimus autem hec istis ne omnino videremur predecessorum nostrorum conatos irritus facere aut appetiari nichili.

Item anno domini Xv^CXVII Xxvii^a Octobris obiit fr. Livinus Cooman conversus huius domus et sepultus in cemiterio nostro qui obiit in carcere sub obedientia ordinis. Reliqua de ipso scribenda omitto causa brevitatis in eterna pace anima eius requiescat.

Item anno domini XV^CXviii X Decembris fuit sepulta in cemeterio nostro honesta matrona *Margareta de Bosco* uxor *Joannis van Vleserbeke* mater fratris *Antonii van Vleserbeke* pro nunc sacrista huius domus.

Item anno Xv^CXix penultima Aprilis obiit frater *Joannes Everaerts* filius domicelle *Clare Molenpas* que duxerat in maritum magistrum *Joannem Everaerts* de quo genuit filium prescriptum et postea ipsa domicella duxit matrimonium cum *Joanne van Elzelaer* qui fuit magnus benefactor huius domus. Qui quidem frater *Joannes* reliquit domui diversa bona hereditaria et presertim hospitium *Bruxelle* nuncupatum *Tgulden Hoofst*, sed unus de sua cognatione *Joannes de Keysere* nititur nos valde tribulare sperans habere prescripta bona et sic pro nunc sumus in lite et processu contra dictum *Joannem de Keysere*. Reddat dominus unicuique ius suum. Unum refero de predicto ratre *Joanne* qui passus fuit infirmitatem magnam dictam *de Pocken* de qua infirmitate fuit multum deformis in facie et fere quasi putribus et fetidus sed mansit semper patiens deo gratias de ipsa infirmitate agens. Ipso mortuo et quando ipsius corpus ut moris est debuit lavare tanta suavitatis odoris exivit ex corpore eius quod mirum fuit. Hec audivi a fratre *Joanne vander Cleeren* qui eum lavit qui est frater bonus et verax, etiam unus fratrum frater *Adolphus Coutereau* intrans cellam defuncti obstupuit de tali odore et fragrantia suavitatis.

Item anno Xv^CXix Xx^a Junii obiit frater *Joannes de Blojere* donatus et professus huius domus qui semper fuit bone indolis et fratribus obsequiosus et sollicitus in coquina qui dedit domui annue Septem Saccos siligines et fere Vi R enenses annue et postea fuerunt venditi et de ipsis pecuniis alia onera redempta et dequitata usque ad summam prescriptam.

Item anno domini Xv^CXix prima Septembris fuit hic sepulta in cemeterio nostro quedam virgo dicta *Ida* que servivit domui et Iuvenibus habitantibus in *Anderlacco* scolaribus ibidem pro Xvii Annos absque ulla retributione aut mercede sed omnia gratis propter Deum fecit solummodo victu et vestitu contenta.

Item anno domini Xv^CXxiii obiit frater *Joannes Bree* in domo capelle prope *Angiam*.

Item anno Xv^CXxv Xviii^a Augusti obiit frater *Henricus de Roye* monachus professus et sacerdos et quondam sacrista vixit L^a

Vi annis laudabiliter in ordine vir strenuus in divinis per tres aut quatuor annos circa finem vite sue multum passus est de calculo et alia in virga et fundamento et quasi martir dicebatur.

Obiit eodem anno in Septembri frater *Gerardus* auriga et vir expertus in agricultura.

Sequitur iam quomodo illi denarii sc duo milia renenses quos ut pretactum est prior modernus sc frater *Joannes Meroult* recepit, fuerunt applicati et expositi ut posteri scirent qualiter domus hec processerit. Et quedam alia que in hac domo contigerunt.

Primo anno domini Xv^cXxi ipso die *Georgii* inceperunt lathomi operare Ecclesiam que eodem anno prescripto fuit inchoata et fecerunt quinque fenestras ac locum ubi summum altare stabit. Eodem anno et interim usque ad annum Xxiiii fecit idem prior de predictis pecuniis magna preparatoria lapidum rubeorum sc *kareelen* et lapides albos preparavit sc *orduyn* intantum(*sic*) quod quando ipsa ecclesia edificabatur sc anno Xxiiii invenerunt lathomi tanta preparatoria que pro magna summa est estimata de quibus preparatoriis exposuit magnam partem illorum duorum milium florenorum.

Item fuit circa idem tempus quidam famulus Lathomorum dictus *Opperknape* qui habuit magnam familiaritatem cum quodam monacho dicto *Hubertus de Lacu* cum quo fecerat conventionem ut secum pergeret versus Romam, cui promiserat pecunias ignoro summam. Ita ut in profesto sancti Petri ad vincula ille servus supradictus expectavit ipsum *Hubertum* supra campum retro cellam et idem frater proiecerat diversa vestimenta et alia per murum. Sed prior suspicabatur malum de ipso *Huberto* quia idem frater *Hubertus* fecerat fieri togam nigram *Bruxelle* a quadam matrona, quam togam idem prior fecit sibi portari et fuerunt vigiles in campo eadem nocte duo donati qui omnia que idem frater *Hubertus* proiecerat ceperunt. Tandem idem frater *Hubertus* circa Xi horam noctis aufugit cum quadam summa pecuniarum quam idem lucratus fuerat ex imaginibus quas fecerat occulte et sine scitu prioris. Tandem idem servitor recessit ab eo *Mechlinie* et idem frater *Hubertus* perrexit versus Romam sed interim correptus a domino incurrit gravem infirmitatem et sic devenit in *Almania* in quadam domo ordinis nostri sc apud *Argentinam*, ibidem est receptus salva penitentia ordinis et ibidem fecit professionem. Interim scripsit priori nostro

humiliter petens sibi indulgeri de scandalo huic domui per ipsum facto. Deus concedat illi veram perseverantiam et stabilitatem, etc (i.m. qui postea in eadem domo Argentina officio vicarii unctiis 5a Augusti pie et religiose obiit).

Item anno Xv^cXxii circa festum Reliquiarum venit ad domum istam quidam religiosus de Hispania ordinis sancti Jeronimi dictus frater *Petrus* sub cruce nobilis ut asserunt aliqui cum literis Imperatoris, ut eundem reciperemus expensis Imperatoris, sed nihil inde recepimus, habuit capellanum sacerdotem qui vocabatur frater *Jaspar* et conversum bonum eiusdem ordinis. Erat vir devotus sed multum verbosus. Postquam Imperator venerat Bruxellam multi magni domini ac vulgares de Hispania visitaverunt eum quibus dabat monita salutis, et aliquando accessit ad Imperatorem qui dedit illi audientiam interdum plusquam per spatium unius aut duarum horarum. Jactabat se multa facturum pro ista domo sed parum aut nihil fecit. Recepit multa munuscula presertim a mulieribus quia a domina de Emmeries recepit pulcrum Calicem ac diversa pallia et ab aliis pannum de serico et alia diversa donaria. Ita ut haberet quando recessit ab hac domo tres malas quas emerat Bruxelle plenas diversarum rerum et omnia secum tulerat, ut mitteret versus Hispaniam, Domina Regina Darragon visitavit eum et asseruit aliqui quod dederat illi casulam auream quam putassemus habuisse pro Capella nostre Domine sed fuimus defraudati et eadem hora qua idem Heremita frater *Petrus* recessit ab hac domo dixit quod eadem hora ipsa casula deveniret ad domum istam sed nondum venit an secum detulit ignoro. Fuitque idem frater *Petrus* Heremita in domo ista usque ad finem Maii Anno Xxiii. Item notandum quod intantum(*sic*) seduxit procuratorem huius domus fratrem *Judocum Fabri* qui tunc fuit procurator huius domus quod secum perrexit etiam sine licentia prioris sui. Et quando venit idem frater *Petrus Gandavi* cum procuratore nostro in quadam die veneris habuerunt responsum ab Imperatore tale quod die sabbato sequenti locaverunt currum cum quo perrexerunt versus Alemaniam. Cum autem idem frater *Petrus* et cum eo procurator predictus venirent te Normen quidam miles qui venerat cum eo ex Hispania, cum omnibus factis suis sc cum tribus malis plenis omnium bonorum recessit ab eo et idem conversus frater *Joannes* cum famulo dicti militis et sic dimiserunt eum vacuum et nemo mansit cum eo nisi procurator noster prescriptus et Capellanus eius qui modico tempore postea etiam ab eo recessit. Et sic mendicantes

hostiatim perrexerunt versus Romam et devenerunt ad quoddam parvum monasterium una dieta ab urbe ibidem existentibus fratre Petro et procuratore nostro misit idem frater *Petrus* fratrem *Judocum* versus Neapolim ad dominum dictum Mingeval Viceregem Neapolis petens ab eodem ut illi provideret de aliquo loco ubi posset vacare orationibus et contemplationibus et perrexit idem frater *Judocus* versus dictum Viceregem per mare et ibidem passus multas contumelias a falsis fratribus et Turcis tandem pervenit ad dictum Viceregem qui ipso audito misit unum de servitoribus suis versus prefatum fratrem *Petrum* et portavit secum vestimenta et alia facta sua que ibidem habuit. Cum autem venissent ad predictum monasterium invenerunt eum mortuum, quo reverso ad dominum suum Viceregem annunciavit eum defunctum. Unde frater *Judocus* multum mirabatur et valde contristabatur. Et idem frater *Judocus* perrexit versus Priorem domus Cartusienensis prope Apuliam qui erat visitator illius Provincie et reconciliavit eum ordini nostro. Tandem idem fratrem *Judocus* per licentiam Patris Reverendi Cartusie ivit Romam in monasterium nostrum sancte Crucis. Scripsitque idem Frater *Judocus* Priori nostro quod ab eodem eremita fratre *Petro* fuit subtiliter deceptus et seductus. Non est consuetudo sanctorum virorum aliquos fraudulenter aut subtiliter decipere quamquam idem frater *Judocus* scribit eum claruisse post obitum suum miraculis. Si ita est commitendum est deo. Idem frater *Judocus* fecit maximum scandalum domui nostre et damnum secum portavit unum missale quod inceperat scribere cum imaginibus. De pecuniis nullam facio mentionem committo conscientie sue. Sed inhoneste fecit dimittens ordinem nostrum quia fuit ab ista domo enutritus a iuventute sua in Anderlaco et postea missus Lovanium expensis huius domus. Et sic retribuit nobis mala pro bonis. Deus det illi veram contritionem etc. [in margine: Idem D. *Judocus* fuit prior in domo s. Jacobi in insula de Capro alias in Calabria, provincie Lombardie remotioris, obiit 9 Septembris.]

Notandum quod postquam frater *Judocus Fabri* recessit ab ista domo et ivit cum heremita fratre *Petro* sub cruce ordinatus fuit in procuratorem huius domus frater *Henricus Orji* qui pro nunc est scindicus(*sic*) et procurator huius domus.

Item eodem tempore fuit quedam pedissequa Regine(*sic*) Arragonie que dedit nostre Domine de Gratia unam casulam de serico rubeo et albo pariter mixtis. Et unum mantellum de panno aureo pro nostra Domina.

Item fratrem *Henricus Orii* fuit absolutus ab officio procuratoris anno Xv^cXxv in visitatione et frater *Ægidius de Ninivis alias Kuesel*

fuit institutus in procuratorem qui pro tunc fuit vicarius et idem Henricus Orii procurator absolutus in vicarium ordinatus. Qui Henricus obiit anno Xv^cXxx mensis Februarii die X^a. Et subrogatus fuit in vicarium D. Simon Vilain senior domus.

Anno Xv^cXxxi Xviii Mensis Julii fuit consecrata Ecclesiam nostram per Reverendum Suffraganeum Domini Episcopi Cameracensis D. Adrianum cum summo altari. In honore sanctissime Trinitatis beati Joannis Baptiste et Brunonis, presentibus Priore Gandavi Petro Vassoris visitatore Principali, Priore domus Traiecti convisitatore, priore domus Capelle prope Angiam, domus Baptiste prope Diest, domus Silve Sancti Martini prope Geraldimontem, domus S. Katharine prope Antverpam, domus beate Marie Magdalene in Lovanio, vicario monialium sancte Anne prope Brugas qui abunde obtulerunt suam gratiam. Cum diversis tam ecclesiasticis quam secularibus personis Abbatibus Grimbergensis et de Dielegem, capitularibus beate Gudile in Bruxella, et Anderlaci et mulieres intraverunt duobus diebus.

Altera die sequenti consecrata fuerunt altaria sub Oxali. Primum in honore beate semper virginis Marie sanctarumque virginum Katerine et Barbare.

Alterum et omnipotentis dei honorem et sanctarum Anne, Magdalene et Cecilie, et istud dicitur in ordine tertium, superius primum dicitur in ordine secundum, et summum dicitur semper primum.

Vitra ecclesie nostre ordiendo a passione Domini nostri Jesu Christi que _____ in ipsis depingitur.

Primum igitur dedit dominus Antonius de Simpij supra oxale in quo depingitur dominus noster orans discipulis sopore pressis.

Secundum est domini Philippi de Cleve D. de Ravestejn in quo habetur quomodo Jesus traditus sit a suo discipulo.

Tertium est Reverendissimi domini Archiepiscopi Panormitani quo continetur quomodo salvator noster ductus fuit ad Annam pontificem.

Quartum est Reverendi Erardi Episcopi Leodiensis Cardinalis sancte Romane Ecclesie in quo conspicitur dominus noster ad columnam ligatus.

Quintum est Regine Hungarie Gubernatricis huius patrie in quo dominus noster coronatur spinea corona.

Sextum est Illustrissimi Imperatoris nostri Karoli quinti eiusdem nominis in quo videtur quomodo Jhesus Christus baiulans crucem exivit in eum ϵ qui dicitur calvarie locus.

Septimum est etiam Imperatoris eiusdem et complectitur Christum in Cruce pendentes.

Octavum est D. Margarete Ducisse Sabaudie in quo dominus de Cruce deponitur.

Nonum est domini Jacobi de Croÿ Ducis de Aerschot in quo dominus descendit ad inferos.

Decimum est domini Marcurini de Gattinaria magni amici huius domus in quo dominus resurgit a mortuis.

Undecimum supra oxale est domini Archidiaconi Atrabatensis quod continet quomodo Jhesus post mortem suam sue matri apparuerit.

Duodecimum est domini Gulielmi de Bruxella abbatis sancti Trudonis et Amandi in quo continetur missio Spiritus Sancti.

Tertiumdecimum quod maius ceteris est dedit ipse senatus Bruxellensis in quo depingitur quomodo dominus sit venturus ad iudicium et iudicaturus vivos et mortuos

Oremus pro omnibus benefactoribus nostris

Hec finem reperunt anno 1558. 7 Augusti

Et incepta sunt eodem anno 1558 2^a Julii

Catalogus Priorum huius domus

Primo in principio domus loco prioris fuit Rector institutus dominus Henricus de Loon, ob hoc absolutus a prioratu domus Capelle in Heerne. Post fuit in Priorem huius domus confirmatus, et tandem propter senium absolutus reversus est ad domum Capelle, sue professionis in qua obiit Vicarius Anno Xiiii^c Lxxx. Tertia februarii

Item post hunc electus est in priorem Marcellus Voet professus huius domus pro tunc hic Vicarius. Qui Xii annis huic in servivit officio usque Annum Lxxxvii quo obiit prior Xxixa Julii

Item huic successit in Prioratu Mathias Tsergoossens professus huius domus tunc temporis hic sacristam, Et inservivit huic officio usque diem mortis sue sc Annum Xv^c Xvi. Quo obiit Xa Aprilis ipso die parasceves. Fuit autem in hoc ministerio Xxix annis et quinque mensibus

Hunc sequebatur Joannes Meerhoudt professus huius domus, pro tunc Procurator, qui ante fuerat Sacrista. Et mansit in hoc officio fungens officii Convisitatoris multis annis usque diem mortis sue qui fuit Anno Lx^a Octobris, sicque amplius quam

Triginta quatuor annis fuit in prioratu

Post mortem istius fuit electus in Priorem huius domus Petrus Mertens professus huius domus tunc temporis procurator et servivit in eodem officio usque Annum Lix.Xiiii Decembris quo tempore obiit. X^o anno sui prioratus

In locum huius subrogatus est Franciscus de Caveneere pro tunc Procurator et professus huius domus. Vivit in eodem officio hoc tempore quo hec scripta sunt sc Anno 1562. 18^a Septembris

Ajouté par une main différente :
Absolutus Anno 1565 cui successit Christianus Noutz, qui ... usque annum 1596, quo anno per capitulum fuit absolutus et institutus prior in locum cuius etc fol sequenti

Encore une autre main :

** Vide primum volumen P. de Wal*

Sequuntur Vicarii
huius domus

In principio domus fuit primus Vicarius ordinatus per commissarios huius domus Arnoldus Carman professus domus Capelle. Sed postquam dominus Henricus de Loon fuit Rector factus, idem Arnoldus fuit electus in priorem Capelle

Post hunc iidem commissarii instituerunt Vicarium Joannem Balem etiam professum domus Capelle. Hic Anno Lix proxime sequenti fuit electus in domus Distensis Priorem

La même 2^e main différente :

Vide primum volumen Patris de Wal

In locum cuius fuit surrogatus(*sic*) D. Petrus de Leon Hispanus qui sequenti anno 1597 absolutus sc per capitulum, et institutus prior huius domus. D. Hercules Winckel professus huius domus, qui fuit prior duobus annis, et postea absolutus per capitulum Anno 1599 : institutus est prior domus Lovanii. Cuius loco prior Bruxellæ per idem capitulum eodem anno designatus est D. Arnoldus havensius professus domus Lovanii propterea a domo Leodii prior absolutus, qui fuit Prior duobus annis et postea absolutus per capitulum generale, et iterum institutus fuit Petrus de Leon supdictus(*sic*) hispanus anno 1601. Ut mansit quatuor annis usque ad annum 1605 et institutus fuit per Archiducem Albertus Vicarius Xenodochij Mechliniensis. In cuius locam surrogatus(*sic*) fuit per capitulo generale D. Gisbertus Bahusius professus domus Lovaniensis Rector et in eodem officio 1 ?bus anno postea confirmatus Prior mansit usque ad annum 1608. Quo absoluto et institutus Priore Brugis successit D. Herculs van Winckele supnomminatus usque 1610 (écrit audessus), prior fuit factus domus Lovaniensis, professus domus huius. Cui successit d. Joannes Emmechoven ab anno 1610 usque ad 1614. Cui successit (ajouté par la même 2^e main différente : d. Bahusius usque ad annum 21 d. Bruno d'Outelair — d. Bruno d'Outelair professus domus Gosnay anno dominus 1621 usque ad annum 1640. Cui successit d. Agathangelus Le Clercq professus Cartusie usque ad annum 1651. Cui successit d. Vincentius Knibbe professus huius domus (dans la marge, par la même 2^e main différente : vide volumen primum d. P. de Wal in principio), d. Joannes Pipenpoÿ professus huius domus anno 1653

(Deux lignes barrées illisibles)

????????????????? cui propter senium absoluto per capitulum, successit D. Hugo Gaethovius anno 1679 authorize eiusdem Capituli anno eodem denoncinatus Convisitator huius provinciæ sequentique anno visitator.